



1. abschriftigung der Branteboutsing,
ob ein am Grypse bij den
vrouwen bisnam = teßtijf in
zijn den verleibt sijc. 1690
2. Christo = gennetie untersching
ob een verdijc die nuwaff.
Raest minch Amtel c. bij
der absolution moglyker
kunne. 1733.
3. van Bashuysen s. Henr. Jac.
diff. de Theologie naturalis
protestantia, Servestde 1726

18

PRORECTOR
ET
SENATVS REGIAE ACADEMIAE
GEORGIAE AVGVSTAE
FESTI NATIVITATIS CHRISTI
PIAM CELEBRATIONEM,
CIVIBVS SVIS
COMMENDANT
ADDITO COMMENTARIOLO
DE CHRISTO NOBIS OMOΟΥΣΙΩ
AD SYMBOLVM CHALCEDONENSE.




G OT T I N G A E
APVD ABRAMVM VANDENHOECK, ACAD: TYPOGR.

18
PROPHETIAE
S. IERONIMI TOLOMITI
GEORGIAE ANGUSTAE
HERIT NATIVITATIS CHRISTI
HABAM CERTIFICATIONEM
CIBARIAE SAVIS
CONSIDERATIONE
ADISSIMO CONVENTU
DE CHRISTO NOSTRIS OMNISCIENS
D. SEBASTIANUS DEYSCHEM

GOTTINGAE
ATQV ARSWAAT VANDENHOOR AGVD: TYPICER

m



I. N. I.

Festum sacrum, quod cum omni Ecclesia Christiana hodie celebramus, pie meditari nos iubet, τὸ διολογουμένως μέγα τῆς ἐνσεβείας μυστήριον. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ. 1 Tim. III.16. Confessio fidei Chalcedonensis, quam EVAGRIVS Hist. Eccles. lib. II. cap. 4. exhibit, mysterium hoc ita describit: Dominum nostrum Iesum Christum, consubstantialem Patri, ὁμοόνοιο τῷ πατρὶ secundum Deitatem, eundem nobis consubstantialem secundum humanitatem, per omnia similem nobis excepto peccato; ὁμοόνοιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν χωρὶς ἀμπτιῶν; ante saecula quidem genitum ex Patre secundum Deitatem, in extremis autem temporibus propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine ac Deipara natum.

Ex hac egregia Symboli Chalcedonensis parte nunc ea tantum considerabimus verba, quibus Servator noster nobis consubstantialis, & per omnia, excepto peccato, nobis similis praedicatur, in sensum illorum inquisituri,

& quid ex τῷ ὁμοεστίῳ quoad humanam naturam ad expli-
candum τῷ ὁμούσιοι quoad divinam Christi naturam trans-
ferre liceat, quid non liceat, disceptaturi.

Christum enim quoad divinam naturam Patri ὁμούσιοι
data opera scrutari, neque hujus festivitatis argumentum
praecipuum & peculiare requirit, neque angusti, qui scrip-
tioni huic fixi sunt, limites permittunt, neque necessa-
rium videtur, cum quicquid ferme de gravissimo illo ar-
gumento dici potest, jam dudum Viri doctissimi occupa-
verint. Nimirum DION. PETAVIVS in Dogmatibus
Theol. GE. BULLVS in Defensione Fidei Nicaenae, SAM.
MARESIVS in Defensione fidei Catholicae & orthodoxae
aliisque scriptis adversus Curcellaeum disputans, IO.
CASP. SVICERVS in Symbolo Nicaeno-Constantinopo-
litano exposito, & in Thesauro Ecclesiastico, IO. GVIL.
BAIERVS in Diff. Ienensi de auctoritate Concilii Nicaeni,
CHRISTOPH. SONNTAGIVS in Diff. Altdorfina de Ho-
mousio Ante-Nicaeno, plurimique Viri Celeberrimi alii
diligentissime indicati a V. CL. IOACH. IVSTO RAV in
Historia vocis ὁμούσιος, annexa Diatribae Hist. philos. de
Philosophia Laetantii, quae ipsa historia voci ὁμούσιος,
quatenus Christo secundum divinitatem tribuitur, seori-
fim destinata est, cum alii Scriptores rei magis, quam
vocis rationem habuerint. Addendus autem optimis
his Scriptoribus & loco omnium habendus est Vir do-
ctrina varia conspicuus, & de omni re litteraria optime
meritus, JO. LAMIVS, Historiae Ecclesiasticae in Acade-
mia Florentina Professor & Bibliothecae Ricardianae Prae-
fectus, in Diff. de recta Patrum Nicaenorum fide, Vene-
tiis a. 1730. edita, JO. Clericum in Arte Critica Nicaenam

opla-

διορθωτῶν falso interpretatum maximo lectionis & eruditio-
nis Ecclesiasticae apparatu refutans.

Quo parcius vero laudati Viri humanam Christi
διορθωτῶν attigerunt (attigerunt tamen, cum aduersarii
falsis suis divinae *διορθωτῶν* explicationibus praetextum in-
de petiissent, sed attigerunt tantum, ut argumentum hoc
peculiari response vix dignarentur) eo diligentius pro
temporis & chartarum praeferentium modulo eam B.C.D.
considerabimus, ipsi divinae *διορθωτῶν* inde explicationem
aliquam & defensionem paraturi.

Patres Chalcedonenses nec primi, nec soli Christum
sicut Patri quoad divinitatem, ita quoad humanitatem
nobis *διορθωτῶν* dixerunt: ATHANASIVS in Epistola de
sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos, hujus An-
tecessoris sui mentem ita exprimit, ut Christum *διορθωτῶν*
ἥμαν καὶ τὴν αὐτὴν ἡμῖν γένεσιν ἔχοντα quoad humanitatem,
quoad divinitatem *διορθωτῶν τοῦ Πατρὸς* statuerit v. p. 433.
& 439. Tom. I. Operum Athanasii editionis Commeli-
niana. Definitio Nicaena de incarnatione verbi &
expositio ejusdem adversus Paulum Samosatenum, quae in
Actis Concilii Ephesini legitur in Collectione magna
Regia Tom. VI. p. 175. (de qua Definitione v. T. H. TR-
TIGII Historia Concilii Nicaeni§. XLV.) utrumque *διο-
ρθωτῶν* habet. Episcopi etiam Orientales in Confessione,
quam Cyrillus Alex. Epistolae suae ad Johannem Antio-
chenum Episcopum inferuit, l.c. p. 31. Christum Patri
διορθωτῶν secundum Deitatem, nobis *διορθωτῶν* secundum
humanitatem describit. Iisdem verbis sui animi senten-
tiā exprimit idem CYRILLVS in Epistola ad Acacium

Melitenae Episcopum l. c. p. 327. Post Concilium Chalcedonense in aliis etiam Symbolis & Confessionibus orthodoxis eandem sententiam iisdem verbis repetitam esse, testatur **BARONIVS** in Annalibus ad A. C. lxxxiii.

Iam Veterum ὄμούσιον, quod Christo secundum humanitatem tribuerunt, recte interpretaturos meminisse oportet: non nostras, quas cum iisdem verbis hodie conjungimus, notiones, veteribus illico adscribi posse, sed definitiones vocum historicas & hermeneuticas ex ipsorum scriptis per regulas bonae interpretationis elicendas esse: mysteria hic esse, ubi de aeterni filii Dei nativitate & natura humana agitur, eaque vel ideo magis occulta, quod in ipsa naturali hominum vulgarium origine non unum occurrit mysterium, quod philosophicum non nulli dicunt, quodque varia peperit philosophemata; in mysteriis explicandis & determinatius describendis, quod ipi Patres Ecclesiae recte agnoverunt, non posse omnia clara esse atque distincta, magis quid non sint, quam quid sint, cognosci, similibus utendum esse, quae vero ultra tertium comparationis extendere non licet; voces a rebus humanis & corporeis ad res divinas & spirituales transferri, sed praecisis imperfectionibus, quas transferre nefas esset: ex haeresibus suae aetatis vel paulo antiquioribus, interdum inter se ediametro pugnantibus, intelligendam atque determinandam esse veram Patrum sententiam haereticis oppositam; ante exortas haereses securius & minus circumspecte Patres locutos esse, ut consensisse cum haereticis sequioribus facile possent videri, cum tamen neque consensisse neque dissensisse statuendum sit.

His

His praemissis primum disquiramus, an Patres Chalcedonenses per τοὺς μούσιους humanae Christi naturae forte solam similitudinem humanitatis Christi, cum nostra humanitate intellexerint? In ajetium partes trahere nos videntur haec momenta. I. Verba immediate sequentia: similem nobis esse quoad omnia, sed sine peccato; quae επεξηγήσεως gratia adiecta videri possunt. II. Quod ὄμοιος, ex quo & ὡντία vox nostra componitur, similem significat, id quod Lexica Graeca e. g. SCAPVLAE, adductis testimonii probant; quod ὄμοιος e voce ὄμοιος derivatur; quod τὸ ὄμοιόντων in genere per idenditatem speciei, quam Graeci ἕιδος dicunt, adeoque per similitudinem magis quam per idenditatem explicatur, e. g. a MARIO VICTORINO Afro in libello de Homooufio recipiendo. III. Quod non pauci ex orthodoxis Patribus ipsum divinum ὄμοιόντων in Christo per ὄμοιόντων per similem substantia vel essentia explicarunt, & duo haec vocabula promiscue adhibuerunt, teste luculento PETAVIO Dogmatum Theol. Tomo II. lib. IV. cap. VI. §. 4. sqq. IV. Quod sine apertissimo errore de humana Christi natura dici nequeat, eandem esse cum nostra natura, cum singuli homines suam & propriam habeant naturam, nihil ergo superesse videtur praeter similitudinem essentiae.

Verum rationes istas non satis probare, quod probare videbantur, distincte ostendemus.

I. Pro babile neutiquam est, Patres Chalcedonenses in tanta brevitate, qua Symbolum hoc conscriptum est, repetitione minus necessaria usos fuisse, atque cum similitudi-

tudinem quoad essentiam per τὸ ὄμοιον κατὰ πάντα satis indicasset, ὅμοιοιον tamen addituros fuisse, si solam similitudinem per hanc vocem significare voluissent.

II. Eadem Lexica Graeca, quae ὅμοιον similem quandoque significare indicant, obseruant etiam αὐτῷ eundem nonnunquam denotare; cum vero de vocis Ecclesiasticae sensu disquiritur, Scriptores Ecclesiastici unice consulendi sunt, inter quos Victorino Afro, quamvis obscuriusculo ac pene barbaro Scriptori, ob'aetatem, orthodoxiam, eruditionem Philosophicam aliasque dotes plurimum tribuendum esse largimur (v. I. o. LAVNOII Diff. de quinque Victorini Operum Tomo II. Parte I. p. 647. sq.) Victorinus autem, cum ὅμοιοιον per idenditatem speciei explicasset, exempli loco addit ὅμοιοιον, ejusdem nominis, quod si sive unum idemque nomen pluribus rebus aequaliter applicandum significat, atque nos docet, Victorinum a specie individua vel singularia non ita, ut nos hodie solemus, distinxisse. Applicatio Victorini ad divinam Christi naturam unice pertinet, & talis est: Christus est verum lumen de vero lumine, Deus de Deo, quod cum agnoscant Ariani, agnosceret etiam deberent ὅμοιοιον, quod Graece idem exprimit, & ARII vocem excludit: *ex nihilo Christum*. Addit Victorinus aliam explicationem, ὅμοιον in compositione quandoque significare ὅμοιον simul, ut in ὁμοτρόποις, simul nutritis, ὅμοιοιον ergo denotare etiam *simul substantiale*, atque excludere illam ARII vocem, fuit, quando non fuit; quae vero posterior vocis explicatio soli relinquenda est Victorino: omne vero & simile & dissimile, ipsumque adeo ὅμοιοιον a Deo longissime removendum esse idem Victorinus censet libro I. adversus Arium.

III. Quamvis Eusebius Caesareensis, qui etiam Pamphili dicitur, in Epistola ad Caesareenses, ipsum Nicaenum ὁμοιούσιον per similitudinem exposuerit, notum tamen est, in Arianismi suspicionem incidisse, a qua omnino liberari vix potest. Fatebitur cum Petavio, antequam Ariani τὸ ὁμοιούσιον ad usum perfidiae suae, fraudemque necendam Catholico dogmati traxissent, Orthodoxos nonnullos unitatem Patris & Filii Joh. X. 30. similitudinis & imaginis ratione declarasse, quod exemplo Alexandri Episcopi Alexandriae illustrat l. c. §. 5. sed cum eodem etiam Petavio agnoscere oportebit, orthodoxos plerosque animadverteris Arianorum insidiis detestatos esse falsam horum interpretationem, ὁμοιούσιον nihil esse quam ὁμοιούσιον afferentium; imo Athanasium, Basiliūm aliosque ab ὁμοιούσιῳ fuisse alienos, ideo quod ταυτότητα excludat, & qualitates ponat, quae in Deo locum non habent §. 7. & quamvis ipse Athanasius atque Hilarius aliisque similitudine filii cum Patre, ad excludendam Sabellii idenditatem & confusionem, quandoque usi fuerint, non tamen similitudinem loco explicationis τοῦ ὁμοιούσιου & instar vocabuli Synonymi habuisse, sed τὸ ὁμοιούσιον τῷ ὁμοιούσιῳ adjungendum censuisse. De Basilio quidem negari nequit, in Epistola XLI. τὸ ὁμοιούσιον τῷ ὁμοιούσιῳ Nicaeno aequipollens existimasse, sed tum demum si vocabulum ἀπαραλλάκτως sine ulla differentia conjungatur. Ex his cum pateat, Patres orthodoxos Nicaeno Concilio I. pares vel suppares τὸ ὁμοιούσιον ab ὁμοιούσιῳ solicite distinxisse, cum de Nicaeno ὁμοιούσιῳ idem scia-

sciamus [quod etiam paulo inferius probatum dabisimus] omni caret probabilitate, Patres Chalcedonenses sexcentos, Symbolorum & Dogmatum antiquorum gnarissimos & tenacissimos, τὸ ὀμοστον, five de divina five de humana Christi natura loquerentur, de sola similitudine intellexisse.

IV. Etiam si nos pro usitata hodie terminorum philosophicorum [& Ecclesiasticorum] acceptione & distinctione idenditatem accuratius & strictius sic dicem, h. e. numericam, humanae Christi naturae, comparatae cum nostra cuiusvis humanitate, non adscribamus, sed specificam aliquam latius, & minus accurate sic dictam idenditatem, quam per similitudinem essentiae exprimi posse facile concedemus [quamvis ea, quae pro vera explicatione statim dicturi sumus, concessioni huic difficultates haud committendas sint oppositura] non tamen sequitur, in Veterum Scriptorum animis easdem fuisse & aequae distinctas idenditatis numericae & specificae ideas: immo contrarium ex iis clucescet, quae ad quaestio-
nem II. respondebimus.

Ita solutis argumentis, quae responsuris ad quaestionem propositam in ajentium caltra nos trahere videbantur, nunc negantem sententiam uno argumento corroborabimus. In Symbolo Chalcedonensi definitionibus postremis praemittitur recensio errorum quorundam qui rejiciuntur, atque inter illos etiam hic: *formam servi, quam Christus ex nobis assumit, coelestis aut alterius cuiusdam substantiae esse*: huic errori manifestissime

me opposita est nostra confessionis particula, qua Christus nobis quoad humanitatem conf substancialis dicitur, non sufficeret autem sola similitudo, siquidem natura Christi humana, in primis quoad corpus, nobis posset esse simillima in omni sua essentia, etiam si coelestis vel alterius substantiae esset. Plus ergo, quam solam essentiae similitudinem, in recessu habet humana Christi ομοονοία, & cum idenditate communem in primis originem ab Adamo totius humani generis Parente respicit, atque specialem Christi hominis descensum per matrem Mariam ab Abrahamo & Davide complectitur, in qua veritate sacra maximum est momentum, cum ut veritas divinarum promissionum elucescat, tum etiam ut praecipuus aliquis Messiae character vindicetur.

Bene autem hic observandum est, Symbola antiqua omnia, quando de ομοονοίᾳ Christi, sive quoad Deitatem, sive quoad humanitatem agunt, & veteres orthodoxas τοῦ ομοονοίου explicationes plerasque τὸ ομοονοίον cum generatione vel nativitate conjungere: cuius conjunctionis si bene memores monumenta antiqua de hoc argumento legerimus, multa erunt clara & perspicua, quae solum homousion sine generatione cogitantibus erunt obscurissima.

Observationes quas hucusque proposuimus magis explicaturi, de argomento dispiciemus, quod STEPH. CURCELLAEVS Diff. de vocibus Trinitatis §. 83. & Jo. CLERICVS Artis Criticae P. II. Sect.

Sect. I. Cap. XIV. §. 20. 21. contra divinae essentiae in ὁμοούσιᾳ unitatem numericam e nostra Chalcedonensi humanitatis ὁμοούσιᾳ petierunt, existimantes, cum Christo natura humana non numero, sed specie tantum, cum nostra conveniens atque eadem tribui possit, divinam etiam ὁμοούσιαν de unitate specifica tantum accipiendo esse.

Primum hic disquirendum est, qualem unitatem & idenditatem Chalcedonenses aliique antiquiores Padres intellexerint, cum Christum quoad humanitatem nobis consubstantialem dicerent? non enim quid nos his verbis significemus, quid in nostra horum verborum acceptione veritas statuere jubeat, sed quaenam veterum fuerit sententia, quaeritur. Tantum vero abest, ut hi Christi humanitatem specie tantum nobiscum convenire, in individuo autem differre statuerint, ut contrarium potius multis adductis testimoniosis probatum dederit PETAVIUS Dogm. Tom. II. Lib. IV. Cap. IX. §. 12. sqq. & Tom. V. Lib. V. Cap. V. ita de GREGORIO NYSSENO observat, negasse cuique individuo suam inesse naturam, atque dici noluisse homines tres: ex AVGUSTINI Lib. II. contra Maximinum cap. 6. sequentia repetit huc pertinentia verba: *Diversa quidem substantia est Deus Pater & homo Mater: non tamen diversa substantia est Deus Pater & Deus Filius, sicut non est diversa substantia homo mater & homo filius.*

Nisi omnia nos fallunt, haec aliaque veterum te-
sti-

stimonia, si diligenter inter se conferantur luculenter docent, autores illorum non habuisse, saltem huic argumento non applicasse, distinctas unitatis & idenditatis numericae & specificae, uti nos hodie loqui & distinguere solemus, ideas, sed confusam aliquam ex utrisque notionem, unde mirum non est, nonnunquam de numerica, nonnunquam de specifica unitate locutos nobis videri.

Idem de divina Christi consubstantialitate, quam Nicaeni Patres maxime asseruerunt, observare licet, cum enim & Sabellianismo & Arianismo obviam ire voluissent adversus Sabellianismum ab ὁμοσίᾳ & μονουσίᾳ & ταυτόσιᾳ distinxerunt, quod ad specificam unitatem quam proxime accedit; adversus Arianos autem ὁμοσίου ab ὁμοιοσίᾳ secernentes & ταυτότητα τῆς οὐσίας urgentes, numericam idenditatem intendisse videntur, cum neque illam neque hanc animo suo distincte cogitaverint.

Atque hinc manifestum est, quid ad secundam, quam Curcellaeus & Clericus suggerunt, quaestione, an & quoque ex humana consubstantialitate ad divinam argumentari liceat? sit respondendum. Etenim si vel maxime concederemus, sine limitatione ex illius conditione hanc cognoscendam esse, nihil tamen pro suis hypothesibus lucrarentur Arminiani; cum in humana consubstantialitate unitas specifica cadat. At vero similitudinem inter utramque ὁμοσίαν non sine limite extendendam esse, vel sola docet τὸν ὁμοιοσίων interpretatione ab Imperatore Constantino in ipso Concilio Ni-

caeno data: non juxta corporis affectiones πάθη dici ὁμούσιον
neque per divisionem aut sectionem quandam Filium ex Patre
subsistere; fieri enim non posse, ut materiae expers & intel-
lectualis atque incorporea natura, corpoream ullam affectionem
admittat, sed divinis arcanisque rationibus id esse intelligen-
dum. v. Eusebii Caesar. Epistola de fide Nicaena in
Theodoriti Hist. Eccles. Lib. I. Cap. XII. his enim
verbis aeterna generatio filii ὁμοούσιου ex Patre, a genera-
tione ipsius quoad humanitatem, in primis quoad cor-
pus, ex matre, cui hoc respectu ὁμοούσιος est, manifestissi-
mē fecernitur: haec nempe divisionem & sectionem
talem involvit, qua ex iisdem numero partibus, quae cor-
pus matris constituerant, quaedam separatae corpus
Christi deinceps constituerunt, a Deitate autem omnis
divisio quam longissime est removenda: praeterea veteres
teste Petavio II. cc. aliam divisionem humanae natu-
rae in sua individua & singularia statuerunt, qua Christus
secundum humanitatem nobis consubstantialis factus est,
quam pariter diuisionem cum omni Polytheismo a Deo
alienissimam esse professi sunt: ut alia discrimina si-
lentio nunc praetereamus.

In eo igitur ex mente & sententia Patrum Nicae-
norum & Chalcedonensium inter se convenient consub-
stantialitas Christi divina & humana, quod sicut Christus
secundum Deitatem per aeternam generationem
Patri non tantum est essentia simillimus, sed ejusdem o-
mnino essentiae, adeoque aeternus, summus, indepen-
dens, omnipotens, omniscius Deus; ita quoad humani-
tatem per nativitatem in tempore factam factus
est homo, Mariae nobisque omnibus quoad essentiam
&

& attributa, solo peccato excepto, omnia non tantum si-millimus, sed etiam quoad essentiam idem.


Quam quidem idenditatem & unitatem, inprimis ad ductum Symboli quod Athanasianum dicitur, nos ita nunc distinguimus, ut Christum secundum Deitatem cum Patre numero vnum, secundum humanitatem nobiscum specie et origine vnum dicamus, re ipsa a Patribus Nicaeis & Chalcedonensibus nihil omnino differentes, distinguimus tantum non tam cogitantes quam loquentes.

Haec posteriot Servatoris nostri *μονοστοιχη* est, quam festo hoc sacro nobiscum & cum omni Ecclesia Christiana pie meditabimini, o Cives Optimi! Non autem in nuda, quamvis docta, utili & necessaria mysterii hujus speculatione subsisteris: est enim mysterium Pietatis. Considerate quaesumus, quo majus est beneficium, aeternum Dei filium nostram naturam dignam habuisse, quam summae Deitati suae intimo & indissolubili nexu uniret, eo majus esse piaculum, suammet naturam indignis tractare modis, peccata peccatis cumulando & corpus & animam commaculare, Deo abominabilem reddere, atque sic aeternae subjicere ignominiae. Amplectimini tota animi fiducia, quam Spiritus S. in omnibus non resistenteribus per ipsum de Christo nobis nato Evangelium certissime operatur, Servatorem vestrum pro Vestra Salute *μονοστοιχη* Vobis factum, crucifixum, mortuum, resuscitatum. Mutuo amore & submississima gratitudine respondere conamini ineffabili amori, quo Vobis indignissimis praevenit. Imitamini religiosissime fratrem sanctissimum

a-

amore Dei Patris summo, puro amore quorumvis aliorum hominum, Christo aequa ac Vobis consubstantia-
lium, modestia, temperantia, mansuetudine & humilitate.
Si hac ratione mysterium magnum Pietatis, Deum in car-
ne manifestatum, in succum & sanguinem converteritis,
certissimos percipietis Pietatis fructus, omnem nimirum
hujus & futurae aeternae vitae felicitatem.

P. P. ipso festo Nativitatis Christi a. d^o lo cccxxxix.




ad 29.


00 A 6402



5b.

VD 17





18

PRORECTOR
ET
SENATVS REGIAE ACADEMIAE
GEORGIAE AVGVSTAE
FESTI NATIVITATIS CHRISTI
PIAM CELEBRATIONEM,
CIVIBVS SVIS
COMMENDANT
ADDITO COMMENTARIOLO
DE CHRISTO NOBIS OMΟΟΥΣΙΩ
AD SYMBOLVM CHALCEDONENSE.



GOTTINGAE
APVD ABRAMVM VANDENHOECK, ACAD: TYPOGR.